



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 105. Quatuor naves ex Chio in subsidium urbis advectæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ruinas tanta celeritate repararunt, ut a-
 liquando Sultanus, qui altera die oppu-
 gnationem redintegrare intenderat, con-
 specto Græcorum opere plusquam huma-
 no, stupens exclamaverit: etiamsi multæ
 Prophetarum chiliades mihi prænuntias-
 sent, quod in una nocte a Græcis factum
 video, fidem illis minime habuissem.

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

§. CV.

*Quatuor naves ex Chio in subsidium
 urbis advectæ.*

Verum longe magis obsessorum animus,
 ac robur crevit quatuor navium ap-
 pulsu, quæ ex Chio insula in subsidium
 urbis advenerant, quas inter altera erat
 Imperatoris, frumentum ex Sicilia adve-
 hens. Turcarum classis hæc naves
 ingenti furore adoritur, sed tandem tur-
 piter fugatur, & naves in libertatem
 assertæ, Mense Aprili ad finem vergente
 victorioso Constantinopolis portum ingre-
 diuntur. Vix fama hujus certaminis in
 urbem perlata est, cum illico ea ex parte,
 quam Turcæ ob angustias loci murum &
 mare dividens invadere haud poterant,
 omnes urbis incolæ ad aggeres suos, at-
 que valla concurrunt, prælii fortunam
 avidissime præstolantes. Turcarum quo-
 que equestres copiæ in aciem instructæ
 ad maris litora subsistebant, ipso Maho-

Ducas c. 38.

Phranz. l. 3.

c. 10.

Sæcul. XV. mete, suisque belli præfectis, quos *Bassas*
A.C. 1453. vocant, primum agmen ducentibus.

§. CVI.

*Navale prælium Turcas inter &
 quatuor illas naves.*

Mare navibus quaquaversum dispositis
 ferme intumescere credebatur, adeo
 tamen ingrata repente torpebat malacia,
 ut quatuor illæ naves salo hærentes, nec
 velis propelli, nec remis reduci possent;
 hinc succidentium ventorum inclemen-
 tia adactæ, prælium in potissimam diei
 partem protractum inire compellebantur.
 Turcæ Sultani præsentia stimulati exul-
 tant, ipse quoque Mahometes incondita
 voce conclamat, vel quatuor istas naves
 sibi adveherent, vel eas in fundum de-
 mergerent. Attamen, cum Christiani
 in summo navigii tabulatu collocati tor-
 menta sua, nullo globo impune cadente,
 ex alto in Turcas humiliore situ ad ma-
 ris oram dispositos exploderent, hi in-
 genti jam clade protriti pedem referre,
 ac tumultuariam fugam arripere cæpe-
 runt. Mahometes hanc suorum igna-
 viam, ac plurimorum cædem adeo ægre
 tulit, ut iram, furoremque spirans, subdi-
 tis equo suo calcaribus præ rabie in pela-
 gus cæco impetu sese præcipitem age-
 ret, tantum non undis absorptus. Præfe-
 ctum